



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ars Bonæ Mortis. Sive: Quotidiana Erga Sanctissimam Dei Matrem Mariam Pietas

Ad omnia quidem utilis. Ad felicem tamen mortem obtinendam utilissima

Hevenesi, Gábor

Coloniæ Agrippinæ, 1709

XIII. Octobris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50916](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50916)

S. Geraldus Comes Mariæ devotissimus tertio eam per hebdomadam jejuniis honorabat. Singula, quæ agebat, jaculatoriis precibus accendebat. Cum mortuus ad lavandum de more patrio corpus nudaretur, pudicâ manu semel, iterum, tertioque se nudari prohibens tegere laborabat. *Nad. an. Cæl.* Erubescat hic vivorum incuria.

S. Geralde qui morientis olim vocem procul distitus audivisti, audi nunc & meam morituri aliquando vocem, & apud Deiparam impetra, ut virginalis per vitam verecundiæ memor vivam. O Sanctissima DEI, & mea, Mater pretiosissima! ego N. indignissimus filius tuus ex toto corde, omnibusque tam corporis, quàm animæ viribus centies millies, imò infinities te saluto: te omni possibili omnium possibilium & actualium creaturarum affectu amare, tibi usque ad ultimum vitæ spiritum, &c. f. 190.

Ad quod impetrandum: juvabit honori Deiparæ ira oculos custodire, ut nullam vel pedis nudi partem etiam surgens aut decumbens hodie videam.

Cum omnia quæ Deus fecit, essent valde bona, hoc melius fecit omnibus nempe Mariam, consecrans in ea reconciliatorium aureum, in quo ille & mortalitas requiem inveniret. *B. Petr. Dam. ser. de Ann.*

Quæstio: An B. V. pro Judæorum more locuta fuerit?